



*AD ILLUSTRISSIMUM  
AC CELSISSIMVM PRINCIPEM  
ac Dominum,*

**Dn. JOHANNEM  
ERNESTUM JUNIO-  
REM, DUCEM SAXONIÆ, JU-  
liaæ, Cliviæ & Montium, Landgravium Thurin-  
giæ, Marchionem Misniæ, Comitem de Marca  
& Ravenspurgk, Dominum in Raven-  
stein, D. S. CL.**

## Gratulatoria

*De feliciter peracto, & Augusti die ul-  
timo annicurrentis 1614. solenniter  
deposito Salanae Rectoratu  
sexenni.*

## CONSCRIPTA

à Patribus Civibusq; Academicis.

JENÆ

---

TYPIS HENRICI Rauchmauls.



Ndolis aëta tuæ, quæq; illa sequentibus annis  
**JAN ERNESTE** tuis de te sperare licebunt,  
 Ostendunt, nec parva quidem, nam protinus  
 omnes,

**D**Cum primū inciperes moderamina clara lycæi  
 Prudenti tractare manu, sceptrumq; tenere,  
 Sic in te facies vertisti, omniq; probatus  
**E**t SAPIENTER & omnia quod CONSTENTER obiris,  
 Hoc pergas animo, maecte & Celsissime Princeps,  
 Cum tua majori subiecta est dextera mole,  
 Sic Rodanus, Tamesisque tibi bene cognitus, ortus  
 Solis & occasus meritâ te laude beabunt.

*Debitæ subjectionis ergò  
 scribebat.*

Dominicus Arumæus D.

**H**Oc fuit in votis, magnum ut qui temperat orbem,  
 Te nobis reducem sisteret in columem.  
 Vota fides sequitur, nec frustra implevit Olympum  
 Sala, Deus pondus sivit habere preces.  
 Namq; refers, quosnam generosa Britannia honores,  
 Quos tibi bellipotens Gallia detulerit!  
 Ut Batavus facilite dextrâ exceperit audax,  
 Utq; evitâris mille pericla viæ.  
 Ista recensentis cuncti pendemus ab ore,  
 Mirantes linguæ flumina larga tuæ.  
 Di superi adspirate Duci, date molliter avum  
 Exigere, & multas vivere Olympiadas.

Johannes Svevius D.

A 2

Nunc

**N**unc solvenda Deo pia vota , calentia vota ;  
 Qui tibi sceptra Scholæ, Dux pie, fausta dedit.  
 Qui tibi fausta Scholæ moderatur sceptra SALANÆ,  
 Per bis tres annos omnipotente manu :  
 Faxit is, ut parili nisu majora gubernes  
 Sceptra : hinc major erit dexteritatis honos.

Debitæ subjectionis ergò f.

Georgius Mylius D.

**Q**uis JOHANN ERNESTÆ tibi, Dux Inclite Saxo,  
 Grates pro meritis poterit persolvere dignas ?  
 Quis celebrare tuas festivo Carmine laudes  
 Unquam sat poterit ? Virtutem GALLIA Dives  
 Est mirata tuam ; nec non BRITANNIA fortis :  
 Et quæ bello ardet civili BELGICA tellus.  
 Has etenim terras ; hac florentissima regna  
 Lustrasti modo ; DEITHLEBIO comitante, perito  
 Linguarum, Legum, morum simul atq; viarum.  
 Miratus quoq; CÆSAR erat, Proceresq; potentes  
 Teutonici Imperii ; Cum nuper fortia MOENVS  
 Spectaret tua facta ; tuosq; videre triumphos  
 Gestiret. Nostro bona quid collata Lyceo  
 Nunc memorem versu ? vel qui memorare potessim ?  
 Piura eas sunt : Majoraq; sunt, quam ut præhendere verbis  
 Possim. Vix unum dicam. TV Sceptra Lycei  
 Nostri SEX totostolerasti ferre per ANNOS :  
 Curasti, PRINCEPS BONE, res nosiras SAPIENTER ;  
 CONSTANTE Rq; simul : quod aperte cūpidoz illud  
 Signabat solenne tuum. Te præfidesummo,  
 PRINCEPS, felices fuimus. Te nunc abeunte  
 Munere Magnifico ; quæ nos fortuna manebit ?  
 O mea si possent NVME N pia flectere Vota !  
 Plures tunc annos hic JANN ERNESTÆ maneres ;  
 Et faciliter regeres Academica sceptra.

Sed

sed D E V S ad majora vocat T E, MAXIME PRINCEPS,  
 Ad majora satum W I T E K I N D I sanguine ab alto.  
 Ito ergo felix; felicior atq; redito  
 Ad nos, & vuln M V S A S recreare benigno  
 Nostras ne rentias: pangent tunc Carmina lata  
 Cum Deus Eximiam, Lutheri dogmate tinclam  
 Conjugio junget stabili; propriam q; dicabit  
 REGVM sine DVCVM prognatam stirpe puellam;  
 Quæ faciat pulcræ blandum te prole parentem.

Humilimæ devoutæque subiectio-  
 nis ac debitæ gratitudinis ergò  
 deproperabat

*M. Johannes Zölnner  
P. P. in Salana.*

S i curare greges, & semina credere fulcis,  
 Aut fodicare velis tremulos calcaribus armos  
 Bellatoris equi, solidoque micantia ferro  
 Arma gravijactare manu, geminumque phaselio  
 Incolumis sicuti monstrum per abire profundi:  
 Scilicet hæc opus est multâ discamus ut arte,  
 Scilicet hæc opus est multo discamus ut usu,  
 Discere si rectè tibi cura sit; alterius sic  
 Altera poscit opem res, & conjurat amicè.  
 Et sunt quos populi fasces, & purpura regum  
 Ignaros hominumque simul pariterque locorum  
 Delirare facit, rerumque capessere cogit  
 Ignotas (Deus hoc perdat Cacoëthes) habenas  
 O capita Anticyras tribus haud relevanda, citatò  
 Tonsori quamvis Licino commiseris: Atte  
 Numinis auspicio Princeps ERNESTE JOHANNES  
 Felicem, terrasque tuas. Tibi jam tot aristas.  
 Ferre dedit nostri sceptrum Deus ipse Lycei  
 Atque ita paullatim tacitis assyescere curis,  
 Nempe secuturi præludia maxime Princeps

A 3

Imperii:

Imperii: Senos Tibires bene gesta per annos  
 Jam quocunque Deus, quò fas, quò sanguinis ordo  
 Ingens quò Patriæ te spes ERNESTE vocare.  
 Nempe peritus eris, semperque paratus ad omnes  
 Caussas & casus, tutorque Paterque tuorum  
 Pacis ad extremam claudes delubra senectam.

*Wolfg. Heider M. debitæ  
 subjectionis ergo ut-  
 cung. f.*

## PARODIA HORATIANA ex Carm. Od. XVIII.

JAN-ERNESTÆ graves pondere jam, quas Academia  
 fecit, pone sinu sollicito sollicitudines.  
*In regno tibi majora Deus proposuit, neq;  
 pugnaces aliter dissidiis res capiunt moras.  
 O quis non animos difficiles aut odium increpet?  
 Quis non te potius grata quies teq; decens Charis?  
 Sic ne quis modici transiliat munera corporis,  
 vires sèpè monent cura gravibus noxa caput premit  
 undis, sèpè monent consociis damna Phalangibus,  
 cum vita latebras exiguæ pollice conscio  
 exquirunt Medici. Non ego te, Dux animosior,  
 invitum quatiam, nec variis obruta cladibus  
 insomnem rapiam, clara tene sic schola dixerat,  
 regni sceptra manu, quæ subsequitur gloria Principum  
 admiscens superis egregium gloria verticem  
 latisq; auspiciis commoditas publica civium.*

*humilimæ subjectionis  
 ergo f.*

*M. Thomas Sagittarius  
 Professor publicus.  
 Emme-*

## EMMETPON. STROPHE I.

**S**urge è torò D I E S roscide;  
 Purpuram rubicundam  
 Adsume humeris splendidis:  
 Ut mutuō lustretur radiō  
 Quam gestat, euge! purpuream, ave  
 Faustâ, parómin bonus  
 Catus & PRINCEPS. Age ô Lyceum!  
 Extolle frontem roseum: Dux,  
 Dux eques JOHANN-ERNESTUS  
 Templum adit (cuî premunt latus  
 Fraterna TRIGA; ellum!) Tibi sacrum  
 RECTOR MAGNIFICENTISSIMUS.

## ANTISTROPHE I.

**S**ic certè agenda solennia  
 Hæc forent. Sed epómin  
 Fascesque Phœbeios  
 Non gestitabit porrò, veluti  
 Sexennium DUCEM vidimus hinc  
 Gestare CONSTANTER &  
 SAPIENTER: se addicabit isthôc  
 Sceptrò; & Lycéo VALEDICET  
 Hôc Die. Potior luctus  
 Causa nobis putabitur;  
 Uduum ac Diem ludo anteferre.  
 COR LÆTUM ALBA HILARATUR DIE.

## EPODOS I.

**U**T bene adfulciatur Ordo.  
 Piérius, Regimenque nutans

Gratiosâ

Gratiosâ PRINCIPIS præ-  
sentiâ, ut & Authoritate  
Nil præstabilius quicquid esse.

Hâc caritura posthâc videtur  
RECTURA Jenéa: fulcimenta  
Deesse vides turribus suâ  
Parte roborea? Tota ruit moles.

## STROPHÆ II.

**Q**Uæ nunc agenda? ô SALICA  
GYMNAS! an retrahendum  
Angustiæ ad claustra Mens?  
Et mancipandum cor tristiciæ?  
An verò vela dandum hilari  
Affectui? & metra  
Resonandum? nostrique excitanda  
Phœbi juventus, operata  
Jam Theophrosynæ, Astrææ  
Et Galeno & Sopho optimo:  
Ut Musicis concentibus juga  
Parnassi repleant SALICI?

## ANTISTROPHÆ II.

**L**INGUIS FAVETE! jacta alea est,  
PRINCIPES viridantis  
RUTÆ aurei ramuli:  
MAGNUS DIES magnos & plausus  
Poscit sibi. Ecce! suaviloqua epe  
RECTORIS, è pulpitô  
VALEDICENTIS: lepor labellis  
Finxit lares, & gravis armat  
Vox loquelæ animam. EXTREMUM  
Non VALE dicit: absit hoc!  
PRÆSENTIOR nobis fururus est  
ABSENS; præsidiô, dexterâ.

EPO.

## EPODOS II.

**S**ic volunt equidem Camœnæ,  
 Cæsia Pallas, & alba Pacis  
 Nata Comitas, satelles  
 Triga charitum : imò Cynthi  
 Triga triplex ministra.  
 Gratisonum ciébit melisma  
 Pro almô auxiliô Deo Uni-trino  
 Pius, quod erit magna portio  
 Gaudii Vieta Musula nostra orba est.

Deb. subject. ergò F.

*M. Balibasar Gualtherus Sacr. Lingg.  
Prof. publ.*

**P**laudite Salaides : nova Carmina pangite Musæ?  
**JAN-ERNESTUS**, de Saxone nobilis **HEROS**.  
**JAN-ERNESTUS** adest, gescit qui scepta Lycéi,  
**JAN-ERNESTUS** adest, **GALLO** qui v. sus & **ANGLO**,  
**JAN-ERNESTUS** adest multis optatus ab horis.  
 Plaudite Salaides? nova Carmina pangite Musæ?  
 Quem tenus hac **REGEM** Salicas vidisti ad oras,  
 quem mirata fuit **FRANCURTI** Cæsaris Aula,  
 quem tūm suspexit Princeps baudunus & alter,  
 quem post exceptit multo cum Gallus honore,  
 quem magno tenuit complexus amore Britannus,  
 quem sibi quig<sub>3</sub> volent, si postera turba futura est:  
**HIC PATRIS** est facies, premit **HIC** vestigia **PATRIS**,  
**HIC PATRIÆ** splendor, **LUX HIC**, **HIC** adorcamagna,  
**HIC PATRIÆ** **PATER** est, **HIC DUX**, **HIC** fida **CO.**  
 Plaudite Salaides? nova Carmina pangite Musæ? (**LUMNA**).  
 Et salve atq<sub>3</sub> vale **DOMINO** vos dicite tanto?  
 Atq<sub>3</sub> benè ut valeat, vos dicite mille valete?  
 Ipse fero precibus **SALVERE VALERE** perenne:  
 quod faxit **NUMEN**, nostræ quod **LINEA** vita est.

Subjectiss.

*M. Michael Wolfius Physices Prof. publ.*

B

Impi-

Impiger Belli veluti futurus  
 Dux, statim à primo tepidæ juventæ  
 Flore caris cum sociis jocosa  
     Prælia miscet:  
 Grandior factus varias pererrat  
 Nationes, & sapienter actus  
 Dirigit cunctos, queat ut placere  
     Nobiliori  
 Militum parti: sequitur deinceps  
 Acriter magis ac magis, dum  
 Hostibus victis, populo adprobante  
     Endoperator  
 Audiat: nec tum fruatur quiete,  
 Nec leveis somnos capit: immò majus  
 Cogitat semper facinus, coronas,  
     Atq; triumfos.  
 Sic frequentasti, Generosa Patris  
 Principis proles, Phrygiæ palæstram,  
 JANE, ô, ERNESTE, & teneris ab annis:  
     Nec sine laude.  
 Nam dedit Patrum TIBI ter- colendus  
 Ordo, Salani, ( caput inter omneis  
 Quod Scholas tollit meritò, & superbit )  
     Sceptra Lycéi:  
 Quæ fide fidâ vigilans gerebas  
 Sex per integros sapienter annos:  
 ImperI & quam sit grave ferre fasces  
     Ipse videbas:  
 Cum relinquebas patrios penates  
 ( Ut solent mentes generosiores )  
 Exteras gentes animum subibat  
     Visere: qualem  
 Tunc gerebas TE, locuples MONARCHA  
 Testis est, palmam TIBI cùm merent;  
 Porrigit primò, TIBI cum brabeion  
     Donat equestre.  
     Semper

Semper adfectus superare noras,  
 Præmium dignis tribuens, malorum  
 At scelus dextrâ quatiens potenti,  
 Auspice Jovâ.

Jam (QVOD ET FELIX SIET, ATQVE FAUSTUM!)  
 Majus optate adgrederis ferendum,  
 DUX, onus; regni recipis regendas  
 Patrii habenas.

Hactenus quodq; in speculo videbas,  
 Jura dans doctis Charisim, reapse id  
 Nunc tenes, quando populo tuo ausis  
 Condere legem.

O benè! hucomnes veniant Poëtæ,  
 Quotquot umbrosas Heliconis oras  
 Incolunt, gratentur honorem, (ut æquum est)

PRINCIPI. & unâ

Poplite infexo venerentur illum,  
 Qui fretum, terras, homines, Deosq;  
 Temperat nutu, ut regat ac secundet  
 Omnipotente,

Dexterâ, quidquid meditetur hic DUX,  
 Serus ad sedes abeat piorum,  
 Sed suo intersit populo futura ad  
 Secla beatus.

Dia Pax Hoc sub solio insidebit,  
 Hoc sub Ascreæ vireant sorores,  
 Hoc sub, expulsa invidiâ, nitebit

Justitiæ lux.

Sic ego secli melioris auspex  
 Auguror, sic me pietas avita,  
 Atq; virtutes niyeæ jubebant

PRINCIPIS alni.

Vos viri magni, placidæ maritæ,  
 Virginum turbæ, juvenum cohortes  
 PRINCIPI nostro pia ferte vota,  
 Dignus enim illis

Est.


Est. Dies lœta omnibus hæc acerbas  
Eximat curas. quoniam, tenente hoc  
**PRINCIPE** has terras, bona convolabunt  
Divite cornu.

*Humillimæ subjectionis ergo  
gratulabundus JENÆ cœlo C XIV.  
a. d. iv. Kl. Septemb. scripsit*

*Christophorus Hæflichius Norimb.*

**P**RÆTOR I resonet jam Musica, Musica Lippi,  
Et quos cantandi sedulus orget amor.  
Musica cantet, cantet Musica, Syntona nostra,  
Quæ pars est divi magna Ministerii.  
Hoc lœtum tempus MUSARUM quippe requirit,  
JAN DUX ERNESTUS dum sacra verbæ refert:  
Munus Magnificum deponens laude perenni:  
Postulat ut gravitas, sic quoq; caussa gravis.  
Tu Calamo; hic fidibus; Plectro hic præludat eburno;  
Hit Harpam digitis tangat, & arte regat.  
Barbiton alter agat; cava Tympana, Cymbala, Chordas,  
Qualiter accinuit Voce Chelyg; DAVID.  
Organa, Sistra, Lyram, Crotalum, Citharamq; Chelingq;  
Ille Chorus teneat, tangat & arte regat.  
Ac Taratantara, Tibia cum Lituo: Tuba, Nablum,  
Buccina, Pandura: hæc cuncta parata sient.  
Gaudia namq; jubent celebrem resonare Triumphum,  
Festag; Collegi quæ dedit ipse D ELL S.  
Exitus Imperii felici ut tramite currit:  
Principium Imperii sic quoq; Pace fluat.

*Georgius Quitschreiber/ Musicus  
Ordinarius Jenæ.*





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-41703-p0014-4

DFG

